



## **Jus Canonicum Practice Explicatum**

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos,  
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos  
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

**Pichler, Vitus**

**Ingolstadii, 1728**

Decisio LV. De Parocho alterius possessionem Decimarum turbante.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

petere voluisse. l. amplius ff. Ratam rem  
haberi. Accedit c. un. eod. x. ibi :  
petitor importunitas plus-petentium,  
per petitionem suam duxerint in iudicio  
persequendum: ergo, si in iudicio h. e.  
post litem contestationem (per hanc  
litem propriè inchoatur iudicium,  
quod in poenalibus strictè accipien-  
dum) non sit perlitum, consequen-

ter non detur plus-petitio, poena non  
habet locum. Interim tamen absol-  
vitur ab instantia Reus, & in capta li-  
tis expensas eidem condemnandus  
est Actor plus petens ante litem novæ  
contestationem. c. un. cit. ibi: nec  
litem excipiet, nisi ei solvantur expen-  
se. l. 1. 2. C. h. t. §. temporales Inst. de  
Except. in fine cit.

## TITULUS XII.

### De Causa Possessionis & Proprietatis.

#### DECISIO LV.

De Parocho Possessionem Decimarum, quam diu  
habuit Primissarius loci, turbante.

#### SPECIES FACTI.

Primissarius in Parochia N. multis  
annis habuit decimas ex quibus-  
dam agro, in fundatione jam ante 50.  
annos ibi assignatas, à Magistratu lo-  
ci authenticis litteris contestatas, &  
quædam possessione, ut testes de plus-  
quam 20. & 30. annis testificantur,  
sine interruptione collectas. At priori  
anno Parochus, qui in Jure Canoni-  
co legerat, se habere intensionem in  
iure fundatam ad omnes decimas suæ  
parochiæ, & si alius Clericus eas præ-  
scribit, præscriptione immemoriali,  
vel 40. annorum cum titulo vel privi-

legio, aut alio legitimo illas acquirendi  
titulo munitum esse debere, propria  
auctoritate involavit in has decimas,  
suoque horreo inexit, ratus utique,  
Primissarium in probatione præscri-  
ptionis vel alterius iusti, quo domi-  
nus harum decimarum effectus sit,  
tituli defecturum. Unde quæritur 1.  
quo remedio se juvare possit Primis-  
sarius, an Possessorio vel Petitorio  
experiri. 2. vel utrumque simul cu-  
mulare. 3. & si quidem solum Pos-  
sessorium eligere velit, quale con-  
sultum sit instituere?

(R. P. Pickler Decisiones.)

M m

QUA-



## QUÆSTIO I.

*An Primissario in Possessorio, vel in Petitorio agere  
consultius sit.*

**S**UADERE & persuadere ei Petitorium nitebatur Advocatus quispiam, nimirum ut Primissarius intendat in Iudicio instituere actionem realem, qua petitur ipsa res (sicut in Possessorio petitur tantum possessio) utique Confessoriam Utilem, qua has decimas ad se jure quasi-dominii pertinere evincat, facta ipsi certa spe, quod ex fundatione, vel hoc titulo deficiente, ex præscriptione hoc jus incorporale acquisiverit, ac decimarum ex certis agris quasi-dominium: idque ex his causis, 1. quia proprietas seu dominium est longè majoris momenti, quàm possessio; & proprietas absorbet possessionem ita, ut, si sententia feratur in petitorio, res auferatur à possessore, & talis sententia pariat exceptionem rei judicatæ in possessorio, ut possessor non amplius audiat. per c. 3. § 6. de caus. poss. & propr. Unde 2. Possessorium per sententiam in Petitorio latam redditur inutile: ergo istud, non illud, ubi utrumque habere potest locum, intentari debet; quod enim fieri potest paucioribus, non debet fieri pluribus; nam licet in possessorio obtineret Primissarius, possit Parochus tamen adhuc instituere Petitorium. c. 7. eod. § c. 24. de Elect. & verisimiliter institueret. 3. Non habet, quod timeat Primissarius, si in-

stituatur Petitorium, & decimas sibi vindicare tanquam suas per actionem realem aggrediatur; quia nimirum optimò titulò fundationis, & legavi cuius ipsi assignatæ sunt hæc decimæ, ac insuper, licet titulus iste probaretur fuisse invalidus, quod nunquam probare convincenter poterit parochus, tamen fundaret præscriptionem propriam, si proprietatem acquisivisset Primissarius.

Sed levia hæc sunt, & Primissarius si non noxia, saltem minus periculosa. Unde suadendum omnino Primissario, ut, cum Possessorio experiri possit, istud eligat. Sic enim suadet Primissarius consultus Gaius in l. 24. ff. de R. S. Sic suadent communiter Auctores, quorum effatum est, *beati possidentis*, sic suadent, & observant boni Prædici, sic suadet denique ratio, & maxima plurimæque commoda, quæ fruuntur possidentes; nam 1. ex possessione præsumitur, & progreditur tempore etiam acquiritur dominium ab illud non habente. l. 3. ff. de acq. pat. l. 20. C. de Pactis. l. 8. §. 1. C. de præscript. 30. vel 40. annor. 2. Actio non probante obtinet Possessorio, idem levatur onere probandi, & transfertur in Adversarium. l. 20. C. de Probat. 4. Possessor acquirit fructus. l. 48. ff. de acquir. rer. domini. 5. Non tenetur suæ possessionis allegare titulum.



lum vel probare. *l. fin. ff. de R. V. ni-*  
*contra ipsum militet aliqua Juris præ-*  
*sumptio. arg. c. fin. de Jurejur.* Ut si  
 Latus prætenderet Jus decimarum.  
 non teneretur cavere de Judicio sisti.  
*l. secundum ff. qui satisd. cog. 7. fru-*  
*ctus perceptos & consumptos non*  
*restituunt, licet postea in Petitorio ca-*  
*da causâ, modo possederit bona fide.*  
*l. in l. 48. ff. de acq. rer. dom. l. 4. ff.*  
*in re, neque restituit in Petitorio*  
*vitiâ expensas & sumptus litis. arg.*  
*l. 71. §. 2. ff. de legat. n. l. 79. ff. de Judic.*  
 & Adversarium constituit Actorem,  
 ejus partes semper sunt duriores.  
 Cephal. Conf. 573. n. 12. Surd. l. 1.  
 Conf. n. 25. Denique 9. longè  
 facilius est probare possessionem,  
 quàm proprietatem; nam possessio  
 faciliè probatur per testes, qui unum  
 vel alterum possessionis actum, uti  
 in præsentia, quòd Primissarius colle-  
 genti decimas ex certis agris, haud  
 difficulter contigisse testabuntur; imò  
 in Possessorio Summario sufficit semi-  
 plena probatio, ut puta per famam,  
 vel unum testem. Menoch. de recu-  
 per. poss. remed. 15. à n. 410. Mascard.  
 de probat. Conclus. 1205. à n. 1. allega-  
 tis plurimis. Econtra proprietatis est  
 admodum difficilis, imò quandoque  
 impossibilis probationis, præsertim  
 ubi per viam præscriptionis probari  
 nequit (uti fortè proprietatis decima-  
 rum a Primissario non adeò expeditè  
 probari posset præscriptione legitima)  
 liquidem ad probationem proprietatis  
 vel dominii non sufficit probare titu-  
 lum præcisè, sed etiam quòd ille, à

quo res est accepta, fuerit dominus.  
*text. & gl. in l. 12. C. de probat.* Plu-  
 ra hujusmodi commoda possessionis  
 exhibent Ripa in c. sepe de restit. spol.  
 Guido Papæ decis. 356. ac præ aliis  
 plenissimè Andr. Cludius. c. 1. rer.  
*quotid. per tot.* Ut adeò verissimum sit  
 illud: *melior est conditio possidentis.* Et  
 possessor qualiscunque hoc ipso, quia  
 possessor est, plus juris habet eo, qui  
 non possidet. *§. retinenda Inst. de in-*  
*terd. l. 2. ff. uti possidetis.* Desipit igitur  
 Primissarius, si, cum possit experiri  
 in Possessorio aliquo, eligit Petitori-  
 um, neglectò Possessorio.

Nec eum absterre debent Advo-  
 cati minus periti ratiunculae. Non. Ima.  
 licet enim proprietas sit majoris mo-  
 menti, quàm possessio, & illa hanc  
 absorbeat, difficiliùs tamen probatur  
 proprietas quàm possessio, ac longè  
 duriores sunt partes agentis in Peti-  
 torio, quàm in Possessorio. Si autem  
 semel vicit in Possessorio Primissarius,  
 habebit omnia commoda possidenti-  
 um: præsumitur dominus decimarum,  
 percipit fructus durante lite in Petito-  
 rio, rejicit onus difficillimum pro-  
 bandi, decimas ad se pertinere, in  
 Parochum, eumque compellit ad par-  
 tes actoris subeundas &c. Et facta  
 etiam hypothesi, quòd in Possessorio  
 caderet causâ, quod tamen nunquam  
 fiet, nisi imperitissimè tractet causam,  
 Judicemque iniquissimum nanciscatur,  
 saluum ipsi semper adhuc erit Petito-  
 rium; non verò vicissim condemna-  
 tus in Petitorio regredi posset ad Pos-  
 sessorium; cum sententiâ in illo lata  
 pariat



pariat exceptionem rei iudicatæ in Possessorio. Non 2. Hoc ipso, quod sententia in Petitorio excludat & absorbeat Possessorium, non vice versa, non debet omisso Possessorio statim ad Petitorium convolari. Dein rectè sit pluribus, quod paucioribus æquè securè, & commodè fieri non potest. Instituat Parochus Petitorium, post-

quam causâ cecidit in Possessorio, videat, quid lucraturus sit. Non quia non ita securus est Primissarius in Petitorio de victoria, sicut in Possessorio: si in hoc aliquando victor, facilius etiam vincet in Petitorio propter commoda Possessionis, quam si immediatè Petitorium elegerit.

## QUÆSTIO II.

*An consultum sit Primissario instituere Judicium utrumque, Petitorium cumulando cum Possessorio?*

**P**RO Affirmativa sic forsan pugnabis: potest Primissarius utrumque simul intentare: ergo consultum est cumulare utrumque; quia sic uno Judicio finietur tota causa; aliàs finitò Possessorio primùm foret inchoandum Petitorium, per consequens consuleretur laboribus & expensis: ac insuper, si Primissarius Actor deficeret in uno, mox juvaretur secundò, e contra Parochus Reus forsan abstereretur à suscipienda lite, si videret duplici via se oppugnari. *Anteq.* autem probatur ex c. 36. de testib. c. 10. de ressit. spol. c. 21. de sent. & re jud. Clem. un. b. t. l. 12. §. nihil commune ff. de acquir. poss. l. 6. ff. de except. rei jud. Nec dicas, possessionem nihil habere commune cum proprietate. l. 12. cit. & sicut possessio & proprietate sunt res porus diversæ, illaque facti, & hæc juris, ita etiam duas diversas pro utraque actiones competere, pro possessione interdictum seu actionem

personalem in factum, & pro proprietate rei vindicationem, consequenter in diversis Judiciis esse proponenda. l. 53. ff. de O. & A. arg. l. 1. c. de iur. qui enim dominum se esse dicit, verfarium fatetur esse possessorium. l. 9. ff. de R. V. l. 1. c. ubi in rem dicit. Siquidem hæc duo Judicia, Possessorium & Petitorium, non sunt contraria, licet sint diversa, sicut nec actiones sunt contrariæ, sed tantum diversæ, compatibles tamen: allegantur autem Jura solum actiones contrariæ in eodem Judicio proponi non potest: possunt ergo cumulari hoc modo: ego possideo, non tu: & licet possideas, rem meam esse ajo: sicut non sunt contrariæ hæc duæ exceptiones. Reo propositæ: nihil debeo: & licet debeam, pacto mihi debitum remitti. Gonzal. ad c. 6. b. t. n. 18. Nec ille, qui dominum se asserit rei & juris incompetentis, quale est jus decimandi in prædicta hypothese, fatetur adversarium esse possid.



possessorem (quidquid sit in rebus corporalibus, de quibus loquitur l. 9. cit., propter quam multi putant Petitorium cum Possessorio possessionis retinenda cumulari non posse) nam in incorporalibus quasi-possessio consistit in usu, qui ab adversario potest prohiberi, & ideo interdictum & actio in factum, ne turbetur Possessor in possessione, adeoque etiam Possessorium retinenda (de quo ferè solo disputatur inter Auctores) cumulatur recte cum Petitorio. Sic in l. 8. §. *Aristoteles si Servitus vind.* § l. 20. ff. de *Servitut.* interdicta Possessoria ratione quasi-possessionis etiam retinenda, conceduntur agenti in Petitorio ratione servitutis.

Ut ut autem in hoc discursu verum sit antecedens, ac bene probatum, negarem tamen ego consequentiam; nam non omnia, quæ fieri possunt, semper & in omnibus circumstantiis fieri consultum est. In præsentī hypothese planè utilitatem cumulandi

Petitorium cum Possessorio non possum videre; quippe dubitari non potest, quin Primissarius in Possessorio futurus sit victor, quod si solum intentetur, citò & longè celerius obtinebit sententiam, simulque minoribus longè laboribus, quàm si cumulet Petitorium; tunc enim onus probandi proprietatem sibi imponit, quæ probatio plus temporis, & plus laboris, & plus expensarum exigeret. Accedit, quòd spem habere possit, Parochum in Possessorio causâ cadentem non ausurum experiri in Petitorio. Vel, si hoc intentaret, Primissarius saltem liber esset ab onere probandi, ac fructus decimasque interea perciperet. Et licet in casu cumulationis unum foret duntaxat Judicium, tamen illud longè esset molestius & damnosius Primissario, quàm si duo successivè instituerentur, præsertim si vicerit in Possessorio, uti spem certam habere potest. Unde patet quoque ad probationem Consequentie.

### QUÆSTIO III.

*Quale Possessorium, vel potius quale remedium possessorium instituire consultum & magis proficuum sit Primissario?*

Prænotandum I. remedia possessoria, à Prætoribus introducta, esse in triplici classe: aliqua tendunt ad possessionem, quam quis nunquam habuit, adipiscendam, uti interdictum quorum bonorum, interdictum quorum legatorum, & interdictum *Salvia-*

num, quod competit locatori fundi adversus conductorem in rebus prædiorum locato illatis pro pensione locationis: aliqua ad possessionem, quam quis habet, & in qua ab alio turbatur, retinendam, ut interdictum uti possidetis, & interdictum utrobi: aliqua

M m 3



qua demum ad possessionem, quam quis habuit, at iterum amisit, rursus recuperandam, quorum sunt plurima, maximè interdictum unde vi in rebus immobilibus, à quarum possessione quis est dejectus, & interdictum, vel potius actio vi bonorum raptorum in bonis mobilibus. De Jure Canonico autem optimum & pinguißimum datur ex can. redintegrandi 3. caus. 3. q. 1. ac in utroque foro locum habet. Ex quibus apparet, remedia retinendæ competere illi, qui possessionem non amisit, licet in ea turbetur, contra turbantem in possessione: e contra remedia recuperandæ illi, qui possessionem amisit, eaque vel vi, vel alio modo dejectus est, contra spoliantem seu spoliatorem. Utrum verò noster Dominus Primissarius amiserit possessionem, vel potius quasi-possessionem decimarum, nec ne, dubium esse potest. Si Parocho decimas avehenti se opposuisset, vel, si eo incio parochus avexisset, ipse rescians statim reclamasset protestando contra hoc attentatum, tanquam spoliū, vel sine mora adisset Judicem pro manutenentia, credo, quod quasi-possessionē suam non amisisset, consequenter uti remedio possessorio retinendæ potuisset, & adhuc posset contra Parochum tanquam turbatorem: si verò non oblituit: vel rescians siluit, nec protestando, nec Judicem statim adeundo, vel non audendo hujusmodi actus facere, vel negligendo, timeo, imò existimo, possessionem ab eodem esse amissam, consequenter arripi debere remedium aliquod recuperandæ

contra Parochum tanquam spoliatorem, & actionem spoli.

Prænotandum II. Possessorium (retinendæ potissimum) ex parte mobiliarum dividi, in Summarium, quod & Summarissimum vel Momentaneum appellatur, & in Ordinarium, quod Plenarium dicitur: Summarium est, quando summarie, non servato Juris ordine, sine longo litis suffragio celeriter, & velò levato, ut aqua proceditur, Judexque summarim cognoscit & pronuntiat etiam exemplaria tantum probatione, uter ex legibus possideat, eum in finem, ut constet, quis possessor, & quis petitor, atque ut non veniatur ad arma, intermen, ut alteri jus suum maneat, vultum instituendi postea vel Possessorium Ordinarium, vel Petitorium, enim ferè pronuntiari solet: Daß bey der Possess, biß so lang durch ein ordentliches Possessorium oder Petitorium entsegt billich zulassen. vel: hat sich der selben zu endtlichem Austrag Possessorio oder Petitorio zuenthalten. & sic est preparatorium alteri Judicii, coram eodem tamen Judice instituendi; nam in Summario (cum cumuletur Petitorium) non conceditur appellatio ad superiorem Judicem. text. & DD. in l. un. C. si de ment. possess. fuerit appellatum. Hanc Judicii interlocutionem Hispani vocant Interim, Galli novam Provisionem, Belgæ & Germani Provisionale decretum. E contra Ordinarium est, quando proceditur servato Juris ordine per ex-



hibitionem libelli, litis contestationem, & convincentem ac ordinariam probationem &c. & sic plena causæ cognitio adhibetur, plenèque discutitur, qui possideat rem, de qua agitur. Ubi observanda, quòd subinde vel ex impetita vel alitua Advocatorum & litigantium ita tractentur causæ, ut Judici difficile sit discernere, utrum in Summario vel Ordinario possessorio actum fuerit: quo casu bene pensitanda est intentio litigantium, an principaliter & absolute de possessione, ejusque pleno & perpetuo jure, sive de tota atque plena possessionis causa, usque dum ab in petitorio obtinuerit, disceptetur; id enim si fiat, procul dubio Ordinarium possessorium erit intentatum, ut si cautio de non turbando Actorem in possessione fuerit libello annexa, vel alias petita, Carpzov. in Responsis Juris I. tit. 2. Resp. 15. n. 10. seqq. Pari modo nonnunquam astutè positiones & capitula, possessorium ordinarium, vel petitorium concernentia, momentaneo possessório à Parte adversa immiscantur, nullo alio fine, quam ut status possessionis, vel causa possessorii reddatur ambigua, & postea Judex neglecta proprietate vix aut difficultè super sola possessione pronuntiare queat: quare peritus Advocatus, si pro cliente suo summarium possessorium intentavit, non sinat Adversarium excedere fines & formam iudicii, neque permittat capitula Possessorium plerarium vel Petitorium concernentia producere, sed semper usque ad finem Summarii de his non

admittendis protestetur: aliàs Judicium censetur ordinarium.

His prænotatis censeo I. D. Primissario non amplius competere possessorium *retinendæ*, quia videtur à possessione dejectus à parocho, cui nec obstitit in continenti, cum aveheret decimas, nec litem mox movit, nec aliud, quo quasi - possessionem conservasset, egisse apparet: bene tamen possessorium *recuperandæ*, quia ab antiqua sua quasi - possessione deturbatus, & decimis spoliatus est. Quia verò periculum non est veniendi ad arma, si quasi - possessionem & decimas sibi restitui petat, ac insuper Parochus intentionem in Jure fundatam habet ad omnes decimas intra fines suæ parochiæ sitas, adeoque præsumptionem Juris pro se, puto institutum esse possessorium *recuperandæ* Ordinarium, non Summarium, quia juxta communem Doctorum tunc ferè locum duntaxat obtinet Summarium, quando est periculum, ne veniatur ad arma, vel ad rixas, vel ne oriatur scandalum.

Censeo II. Et dico. Primissarius rectè agit super spolio ad recuperandam quasi - possessionem, & restitutionem decimarum ablatarum. II. Et quidem ex *can. redintegranda* 3. caus. 3. q. 1. tanquam remediò optimò. III. Nec opus est allegare vel probare titulum, modò probet diuturnam possessionem suam, & invasionem decimarum à Parocho factam, seu spoliationem suam, & dejectionem à quasi - possessione. Pars prima constat tum ex re-



resolutione primæ & secundæ quaestionis, ubi ostensum est, consultius esse experiri in Possessorio quam in Petitorio, & quidem in Possessorio solo, tum ex immediatè antè dictis, ubi insinuatum est, non *retinenda*, sed *recuperanda* possessionis remedium ipsi competere. Pars II. exinde, quia actio spoli nihil est aliud, quam conditio ex *can. redintegranda. 3. q. 1.* quæ competit omnibus possessione iniuste privatis adversus spoliantem (& alium quemcunque talis rei possessorem) ad hoc, ut res & possessio ablata spoliato restituatur statim & ante omnia. *Gail. 2. observ. 75. n. 10. Perez. ad Cod. tit. unde vi n. 19. Berlich. p. 1. concl. 21.* & Doctores communissimè, qui hanc conditionem vocant omnium *plenissimum* & *pinquissimum remedium*, quod habent spoliati; cum competat non modò possessori, imò & detentori cuicunque spoliato adversus spoliantem, & ad quemcunque res spolio ablata pervenit (etiam bona fide, ut habet mihi probabilior) sed etiam ad omnes omnino fructus restituendos, & ad expensas litis, imò & extrajudicialiter factas, repetendas, & quidem sine ulla præfinitione temporis, omniumque aliorum remedium & interdictorum commoda continet. Vid. Menoch. *recup. possess. remed. 15. n. 602. seqq. iuxta remed. 1. n. 414. seqq. n. 574.* usque ad finem. Gabrieli in *commun. conclus. tit. de restit. spoliat. concl. 1. n. 11. concl. 7. n. 97. seqq. Gratian. discept. forens. cap. 206. n. 14. seqq. Klock. to. 2.*

*conf. 29. n. 163. & conf. 39. n. 170. Ferd. Christoph. Harpprecht conf. à n. 346. & n. 369.* Etsi ex parte spoliantis nulla intervenit violentia. *ff. quod met. caus. l. creditores. ff. de vi priv. Harpprecht n. 375. & n. 369. cit. lit. G. cum inno-*

*ris.* Pars III. Si non verfaremur in causa decimarum, ad quas Parochus habet intentionem fundatam, res sita plana & extra controversiam, in alio enim spoliis si agatur condictione ex *can. redintegranda*, solum probandum erit, quòd Actor ante spoliationem possederit, & quòd possessione spoliatus fuerit, per *l. 1. §. 23. ff. de vi arm. c. 10. de offic. deleg. c. 3. de rest. spol.* seu Actor debet probare possessionem suam antiquiorem & adversarii novam, seu dejectionem sui; quod posterius ex communissima & in foro (teste Harpprecht n. 371) receptissima sententia Doctorum ipso probatum intelligitur, quoniam antiquior Actoris possessio est probata (quod Primissario nostro diffinitum non est) eò quòd antiquior possessio etiam iustior esse præsumatur, non autem ipsius Rei vitiosa. Menoch. *med. 15. cit. n. 383. necnon consil. 2. n. 14. & consil. 725. n. 2. Roland. Valle vol. 4. conf. 32. n. 10.* Imò et ipse Parochus factum suum, decimarum invadentis & avehentis, non negat. Cum verò in causa decimarum agatur hic contra Parochum, iuris assentià fulcitur, ideo non qualiscunque possessio antiquior est probanda.



sed diuturna, ex parte Primissarii, uti  
desumitur ex c. 2. de restit. spoliat. in 6.  
ubi, licet pro Parocho stet præsum-  
ptio ad decimas intra suam parochiam  
factas, & spoliatus à Parocho non resti-  
tuatur, qui eas ad se pertinere non  
potius probaverit, additur tamen, si  
Clerici spoliati decimas tantum posse-  
derint aliquandiu: ergo, si probassent  
diu & longo vel longissimo tempore  
se fuisse in possessione, ex hac præ-  
sumptio pro Parocho fuisset elisa, &  
Clerici debuissent restitui, licet domi-  
nium non probassent. Idem probatur  
etiam ex c. 3. de caus. poss. & propr.  
ubi decernitur, quod Clerici alicujus  
Ecclesie Collegiatæ, qui in diuturna  
possessione juris eligendi Episcopum  
existerant, hoc jure spoliati à Cano-  
nicis Cathedralis Ecclesie, restituan-  
tur in possessionem, licet nihil aliud  
probaverint quam possessionem.

Ex eisdem Juribus, nempe c. 2. &  
3. cit. enitur, quod nec titulum pro-  
bare teneatur, qui à Parocho, licet  
assistentiam juris pro se & præsum-  
ptionem habente, spoliatus est decimis,  
modo diuturnam, longi nimirum vel  
longissimi temporis, imò tantum ali-  
quorum annorum, possessionem pro-  
baverit. Ferd. Valsq. August. Barbosa.  
Ludov. Engel tit. de decimis §. 1. n. 4.  
& tit. de restit. spol. n. 13. Robertus  
Wing. Jacob. Wex, P. Melchior Fri-  
derich Prædecessor in præclarissimo  
tit. de decim. n. 657. qui duo, nem-  
pe P. Engel & P. Friderich, inspicere spe-  
(A. P. Fiebler Decisiones)

cialiter merentur. Atqui Primissarius  
facillimè probat possessionem decima-  
rum quæstionis non longi tantum, sed  
& longissimi temporis: & hac pro-  
bata in Possessorio ordinario debet re-  
stitui plenè, scilicet non modò abla-  
tæ decimæ reddi, sed etiam ipsa pos-  
sessio adjudicari, uti est indubitati Ju-  
ris. Ergo Primissarius victoriam cer-  
tam sibi promittere apud æquum Ju-  
dicem potest in Possessorio.

Postquam verò causam evicit in  
Possessorio, tamdiu decimis gaudebit,  
sicut hucusque gavissus est, donec  
Parochus intentatò Petitoriò convin-  
center & legitime probaverit proprie-  
tatem, & plenè ostenderit, decimas  
ad se pertinere; quod nunquam po-  
terit, si vera est species facti, ut  
est recensita. Plus dico, si Pri-  
missarius ipse institueret (quod tamen,  
cùm Possessorio se tueri possit, nec te-  
netur instituere, nec sibi consuleret  
instituendo) Petitorium, haud dubiè  
victor evaderet, quia pro se habet ma-  
nifestè titulum donationis vel Legati,  
quo in fundatione Primissariæ ipsi hæc  
decimæ sunt assignatæ, adeoque præ-  
sumitur dominus juris decimandi esse,  
quamdiu non ostenderit Parochus,  
hunc titulum fuisse invalidum. Imò,  
licet probaret, eum fuisse invalidum,  
tamen evinceret dominium & proprie-  
tatem Primissarius acquisitam viâ Præ-  
scriptionis; cùm à Clerico contra Pa-  
rochum, utut munitum assistentiâ  
Juris, & intentione in Jure fundata,  
N n præscri-



prescribantur decimæ cum titulo 40. annis. *c. 1. de Prescr. in 6.* qui anni cum titulo in contingentia facti, si vera est, suffragantur Primissario; imò fortè suffragaretur tempus immemoriale, quo

tamen non indiget. Sed in Petitorium, sicut D. Primissarius, ita de me non immitto, tanquam fluum.



# TITULUS XIII.

## De Restitutione Spoliatorum.

### DECISIO LVI.

De Canonico restitutionem petente contra Judicem qui præproperè immisit in possessionem feudiagnatum illius.

#### SPECIES FACTI.

**H**artmannus Perillustris parentis filius unicus animum adiecit ad DEO serviendum in statu Clericali, & postquam Canonicatum in Ecclesia quadam Cathedrali adeptus est, Ordinem Subdiaconatus suscepit. At vix stabilem hunc statum amplexus est, mox ejus proximus agnatus Adolphus, nimirum patruelis, accessit excelsum quoddam Principis Supremi regimen, & feudum, in quo velut hæres & filius successerat parenti Hartmannus, ad se modò devolutum ratus immisionem petiit in possessionem feudi, & sine mora, ac absque omni cognitione prævia, an Hartmannus illius

retinendi capax esset, nec ne, eadem impetravit. Contra hoc factum Judicis tanquam notoriè iniquum testatus Hartmannus causam deducit ad ipsum Principem, tanquam Directum feudi, sibi que tanquam spoliato quantocyùs restitui postulavit possessionem cum fructibus expensis litis: Adolphus econtra petens nuteneri in adepta per Judicem auctoritatem possessione postulavit, intertò simul Petitoriò, atque portrectò bellò, in quo ajebar, feudum ab Hartmanno per susceptum statum Civilem amissum & ad se devolutum esse. Unde exarsit